



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De Mixtis inanimis. Cap. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**



STEPHANI THEVPOLI,

BENEDICTI F. PA-

TRITII VENETI,

ACADEMICARVM

*Contemplationum,*

LIBER IX.

DE GRADV MIXTORVM.

*De Mixtis inanimis.*

CAP. I.



Vanuis ea sit vniuersi fœcundi-  
tas, & plenitudo; vt in singulis  
corporibus omnia, modo aliquo  
inueniantur: attamen nonnulla  
corpora conspiciuntur, quæ ad-  
eò accedunt ad naturã alicuius simplicis cor-  
poris; vt simplicia esse videantur, & nominen-  
tur; ex quibus deinde propriè, & verè mixta  
constituuntur. Iure profectò ex primis corpo-  
ribus constituuntur mixta: nam ea, & commu-  
ni subiecto, & contrariis qualitatibus prædita  
sunt; propterea ex mutua actione, & perfec-  
sione in vnum redigi valent: hoc enim est mi-  
rabile in vniuerso, quòd ex pugna, & lite pax,

X

ex multitudine vniō confurgit; & cūm omnia ex vno pendeant, in vnum confluunt, & conspirant. Hanc mixtionis conuenientem rationem paucis quidem, at exactissimè explicauit Plato in Timæo, inquit; Nō cessant elementa agitari; quousque expugnata, in vnū quiddam ex multis superanti simile tandem euadant, familiariterq; cum victore permaneant. Quibus verbis, præter cætera, hoc quoq; manifestauit; Mixtum omni ex parte æquale non dari, sed vnum semper cæteris dominari: quæ de re Arist. cum eo libentissimè conuenit; Galenus verò magis dissentire videtur. Veruntamen censeo Platonem ad id, quod euenit, vt plurimum, respexisse; & ad præcipua mixta: non enim principiis, & fundamentis Platonis aduersatur, dari mixtum exactè æquale; nisi in omni, saltem in oppositione. Inter mixta dantur nonnulla, quæ potiùs elemēta aliquid passa, quàm verè mixta nuncupari merentur; vt Nubes, Caligines; Grando, cui in terra respondet Glacies; Nix, cui respōdet Pruina; Pluuia, cui respōdet Ros. Arist. in I. Meteor. cap. II. inquit, grādinis in sublimi genitæ, prope nos nil respōdere; Plato dixit ei respondere Glaciē: at nō ob id dissentiunt; quoniā Arist. cōsiderauit generationes ex nubibus in aere factas; Plato verò considerauit naturas, & condiciones rerum absolutè: in prima consideratione rectè dixit Aristoteles, in altera rectè Plato. Quamuis enim apud nos detur glacies, naturæ grandinis

dinis respondens; vt dixit Plato: non tamen  
 glacies ea producitur ex aqua, & ibi, & tunc ex  
 nube genita: ad quod respexit Aristoteles.  
 Metalla sunt fusiles aquæ: quatenus ex aqueo  
 vapore ducunt ortum, & fundi possunt: hæc  
 sunt exactiùs mixta, quàm niues, & grádines.  
 Fossilia magis ad terræ naturam, & cõditio-  
 nes accedunt, magisque cum terra sunt com-  
 plicata; & eatenus viuunt, quatenus terræ  
 iuncta sunt. Mixta perfecta, mixtorumque ex  
 vna in aliam naturam permutationes, ab ho-  
 mine per arté fieri nequeunt: sed à sola natura.  
 Propterea cum Plat. inaniter eos laborare exi-  
 stimo, qui per sublimationes aurum, & argen-  
 tum se posse conficere sperat: deluduntur pro-  
 fectò externa quadam auri, vel argenti imagi-  
 ne; verùm essentiam attingere nõ valent. Nec  
 propterea inanis penitus est ars ea, quæ Alchi-  
 mia dicitur; sed eatenus est approbanda, qua-  
 tenus ope naturalis Magiæ quodam tenus ei  
 datum est ascendere: qua de re Aristoteles à  
 Platone minimè dissentit.

*De Plantis.*

CAP. II.

**P**ro mundi integritate, & ornamen-  
 to; pro animalium vsu, & præsertim  
 hominis; varia herbarum, arbustorũ,  
 & arborum genera producta sunt; ex  
 eis enim alimētum desumimus, quod omniũ  
 alimētorum maximè est naturale; & pro-